

incidit, cœpitque eum blandè corrigere, impatiens iræ furcifer, extenta manu faciem eius percussit: Secessit ille tacitus. Mox cernens famulus quem pulsauerat, inter discumbentes medium trepidare cœperat, tandem explorato quisnam esset, affusus erroris veniam poposcit, cui ædium Dominus: Tibi, inquit, libens parco, huic autem (& tunicam suam digito signavit) non parco, quæ ut ita tractarer præstitit.

SANTIVS REX CASTELLAE.

QUODAM tempore, dum Christianorum Proceres, fines Sarracenorum inuadere, & terram CHRISTI sanguine consecratam indigno seruitio decreuissent liberare, (quod heu sæpè facimus, nunquamque perficimus) agitatum est in consiliis: Quisnam tantis cœptis Dux aptissimus foret, visusque est & optimus Santius Hispani Regis frater, quem & experiētia armorum cōmendabat, & genus & probitas, nec suspectum luxus faciebat (frequens principatus malum) nullis enim inquinatus opibus aut delitiis, sed Hispano more asper & agrestis, & sub diuino inter labores educatus erat: Accersitus igitur omnium consensu Romanam